B. N. C
FIRENZE
1123
6

Digitized by Google

1123 .6

Digitized by Google

MISCELLANEE
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE

ORATIO
DE DEO TRINO ET VNO
Ad S. D. N.
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

Habita

A IOSEPHO MARIA SVARESIO AVENIONENSI
in Sacello Pontificio Montis Quirinalis.

Octauo Idus Iunij Anno M. DC. XXXII.



ROMÆ, Typis Vaticanis. M. DC. XXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

1123 6

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

FRANCISCO

S. R. E. CARD. BARBERINO

Legato Auenionenſi &c.

IOSEPHVS MARIA SVARESIVS
Auenionenſis Felicitatem.

EMINENTISSIME & Reuerendiſsime Princeps. Operæ pretium me feciſſe arbitror, dum coram illo conſeſſu, quo nullus in orbe terrarum auguſtior eſt, Orationem habui de Fonte Trino & Vno Diuino. Leges igitur Romanas ſequutus, quibus conſtat operas à Clientibus editas, atque præſtitas olim fuiſſe patronis, lucubratiunculam illam typis editam Eminentiæ Tuæ lu-

bens meritò dedico. Maxima verò ſpes me tenet hanc argumenti vbertate, ac dignitate præcellentem, licèt minimum, aut nihil in illa ſit artis vel induſtriæ, Tibi tamen, à quo ſuſceptus in Clientelam Patrocinio tam illuſtri foueor, acceptam fore. Confido namque neutiquam Te paſſurum, vt mihi quidquid hoc eſt opellæ meæ peralacriter offerenti præcludantur eximiæ Tuæ Dulcedinis fontes, qui ſemper omnibus aperti benigniſſimè patuerunt.

ORA-

ORATIO
DE DEO TRINO ET VNO.

HACTENVS è fontibus Saluatoris hauſit aquas Eccleſia fidiſſima illius ſponſa, & Verbum æternum, quod à fonte Lucis, æterno ſcilicet à Patre fluxit in Terras, modò mœſta, modò læta per varios caſus proſequuta eſt. Neque pridem Chriſtum Dominum, cum ille ſedibus Empyreis inueheret aquas multas, ſeu populos multos, cumque Spiritum Sanctum fontem Viuum in filios adoptionis effunderet, ingenti cum gaudio, & alacritate ſingulari perfuſa ſuſpexit.

Verùm hodierna luce tanquam fontem ipſum Trinum & Vnum Diuinum adit, & ſummum Deum eſſentia Vnicum, perſonis Trinum ſupplex veneratur & adorat. Quando igitur accedere propiùs ad tantum fontem ſum auſus, liceat mihi (Beatiſsime Pater) ea, quæ fas eſt homini loqui de reconditis Gloriæ, Sapientiæ, atque Caritatis abyſſis illo in fonte affluentibus, delibare.

Tam vaſtus, & altus fons eſt Diuinus, eum vt mortalium nemo capere valeat animo: Etenim cum ſit infinitus, & immenſus, nullis loci ripis coercetur, ſed vndique diffuſus, & metas quaſlibet egreſſus res in ſe continet vniuerſas, neque temporis limitibus adſtringitur vllis, eſt quippe tempore ipſo antiquior, & omnium origo, atque finis, ab eo nempe ſuum cuncta repetunt exordium, & ad eum æſtu quodam mirabili reuoluuntur: Quin beatiſſimi Spiritus illi qui corporeæ fæcis expertes ipſi Numini ſemper aſſiſtunt, & aſpectu diuino fruentes Triſhagium hymnum aſſiduè concinunt, amplitudinem tantam percipere, atque pernoſcere non poſſunt, ipſe omnium Archetypus, ac ſcientiarum Dominus ſolus eſt ſui capax, ſolus ſe penitùs ipſe perſpicit atque cognoſcit.

Olim quidem Thuſco in littore ſupremus Theologorum vertex Aurelius Auguſtinus dum ſolicitus perſcrutaretur rem tam abditam, pulcherrimi pueri, qui pelagus (quantum quantum erat) exiguam in foueam ſub ipſum littus vola manus transfunde-

re ſatagebat, monitu rem illam, quam tunc aggreſſus verſabat animo, neque comprehendi, nec explicari poſſe ab Angelicis, nedum ab humanis ingenijs intellexit. Ille verò facundiæ Rhodanus Hilarius ad eloquendum Deum teſtatur ſilere ſermonem, ad inueſtigandum ſenſus hebeſcere, ad complectendum intelligentiam coarctari. Eſt enim qui eſt; eſt natura puriſſima, immortalis, immutabilis; eſt indiuidua & omnipotens, increata & omnia creans, immota & omnia mouens, bonorum omnium theſaurus, & fons limpidiſſimus. Sed quem exitum reperiet Oratio ſi attributa Deo nomina ſingula vel enumerare tentauerim? Deficient dies, deficient anni, & non eloquentia ſolùm, ſed vox etiam ipſa deficiet! O altitudo inexhauſta Dei! O inenarrabilis magnitudo! O viæ ininueſtigabiles: Satius eſt illa mirari, Satius imitari Timanthis artem, atque obducto ſilentij velo res tam arcanas, tamque abſconditas reuereri.

Attamen in Patrem luminum, in fontem Lucis, & Gloriæ iuuat mentis obtutum defigere. Præclarè Gregorius Theologus aſſimilat æternum Patrem oculato circulo, qui radios ſuos fluminis in morem terris infundit, eaſque omnes ſua Luce velut inundat; Enimuerò ſicut Pater clarificauit Filiũ claritate, quam habuit prius quam mundus eſſet; ita quoque ſibi caros illuminat, illiſq. ſubinde Lucis ſuæ quaſi riuos, ac demum vti flumen Gloriæ lumen, vt in ipſius lumine lumen videant, impertitur, & inſidens excelſo, lucentique ſolio, atque conſpicuus incomparabili maieſtate inter Cherubin millia millium ei miniſtrantium, eumque collaudantium admirabiliter nitet, ac irradiat.

Splendore tanto perſtrictus flecto ingenij aciem ad Filium, qui à Patre genitus ante Luciferum, Vitæ, Sapientiæq. ipſe fons extitit, dum omnia per ipſum facta ſunt, & potiſſimùm dum inſtillauit initium ſuæ pietatis e Cælo, atque influens Sacratiſſimæ Virgini, ex eaque natus rerum mirificè geſtarum, Cæleſtiſque doctrinæ profluuijs orbem totum compleuit. Fluuijs quidem gaudebat aſſertor noſter, & circum Lacus ſæpius verſabatur cum Piſcatoribus, quorum vni Petro ſupremum detulit Eccleſiæ Principatum. Nonne Iordanis aquis ſe ipſum immerſit? in eoque tinctus Sacrum Baptiſmi lauacrum nobis adeo ſalutare inſtar eluuionis antiquæ ad eluendam generis labem; delendumque neuum Adæ vitio contra-

ctum

ctum inſtituit? Nonne maculas animi lacrymis oblitterari decreuit? Nonne clamabat paſſim, dum inter homines ageret, ſi quis ſitit veniat ad me? Denique tactus virga Crucis, & ſanguine ſuo purpuraſcens, cum diffudiſſet tot ſolida Sapientiæ veræ documenta, & exempla, in Cælum redijt ad Patris dexteram conſeſſurus, & inde nobis Vitam, Sapientiamque refundit.

Suſpicio Spiritum Sanctum fontem viuum Caritatis, qui à Patre, Filioque procedens hortum Eccleſiæ amnibus vberrimis Chariſmatum, ceu Paradiſum irrigare non deſinit. Ex his vitalem ſuccum trahunt Iuſti, & tanquam ligna fructus dant in tempore ſuo; hinc lilia Virginum, hinc roſæ Martyrum, hinc amaranthi Confeſſorum amœniſſimo veluti Vere copioſius efflorefcunt; hinc profluit oleum, quo diſſidia conciliantur, iurgia componuntur, & vncti Chriſtiani vinculo amoris arctiſſimo connectuntur.

Atque hi tres fontes, ſiue perſonæ Diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Vnum ſunt, Vnum regnum eſt indiuiduæ Trinitatis, Vnus Baptiſmus, vna Confirmatio, quemadmodum Ioannes diſertiſſimus ore illo aureo pronuntiauit, Vna eſſentia, tres perſonæ, Vna ſubſtantia, ſiue ouſia, tres hypoſtaſes, ſed homoouſiæ, ſeu Conſubſtantiales, & æquales potentia, ſcientia, dignitate.

Cuius myſterij cuſtos Eccleſia Catechumenos ter vel mergit, vel abluit, & omnes pænè ritus Triade condecorat. Atque hanc veritatem in primitijs Conciliorum, Nicæna ſcilicet in Synodo, firmatam, atque ſancitam inuicti Pugiles Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, Fulgentius, cum Orthodoxis omnibus acerrimè propugnarunt: Hanc Africani Præſules, etſi præciſis linguis, clara voce prædicarunt: dumque in Oriente collideretur hæreſeon furore, atque occideret in Occidente Conuenticulis Tyrannicis oppreſſa Religio, ſeque Orbis ingemiſceret Arianum, illam præ cæteris Romani Pontifices conſeruarunt! Felicem Cathedram, ad quam perfidia nunquã habuit acceſſum, quæ gladio beati Petri aduerſus hæreticos reliquorum dextras obarmat Antiſtitum. Hic ſemper hæreſes contritæ fuerunt, & exterminatæ. Hic Ariana, Sabelliana, & quæcumque aliæ caput poſuerunt, & quia nulla vnquam praua opinio inualeſcere Hic potuit aduerſus Nicæni Concilij Symbolum, nec illud inter Sacrorum ſolennia priſcis temporibus recitabatur.

Explodatur igitur perfidorum cæcitas Iudæorũ, qui Palæſtinos inuidia occæcatos æmulati, humo ingeſta puteos Abrahæ tres videntis, & Vnum adorantis ſibi obſtruxerunt: Reijciatur Arianorum veſana rabies, Macedonij, & reliquorum, qui ſibi fodiunt lacunas veneno infectas, & veros fontes aquarum viuentium derelinquunt, feralis peſtis eliminetur, atque profligatis exitialibus ſectis Sacroſanctæ Triadis cultus illuſtriùs inſtauretur.

At nos hoc in procelloſo fluctuum amarorum Oceano corda noſtra, quæ trianguli ſpeciem præferunt, ad Trinum illum fontem dirigamus in mentis exceſſu, ſicut Ceruus ad fontes aquarum. Nec ſatis, Decet enim aſſumere Columbæ pennas, & migrare, atque reſidere ſuper aquarum fluenta, vbi Dæmonis vt Accipitris irruentis inſidias peruidendo, nobis cautius conſulemus. Decet ibi pio ſuffuſos horrore deflere, ſed amariùs flagitia noſtra; Nam ſimul ac fontibus iſtis fuerint immiſti fletus noſtri, confeſtim amaritudo Abſynthij vertetur in Dulcedinem ſuauitatis.

Tu Pater ingenite Luce tua populos errorum tenebris obuolutos illuſtra, & Gloriam tuam Orbi terrarum expãdito manifeſtam. Tu Fili vnigenite Vitam inſpira morientibus, & Sapientiam mortalibus cunctis infundito. Tu Spiritus Sancte piorum animos concordia mutua coniunge, ſit cor Vnum Credentium, ſit anima Vna. cupiditatum; & bellorum incendia prorſus extinguantur. Tu Trine Deus, & Vnice nos quaſi piſces in aqua Eccleſiæ, quæ fons eſt, vnde nec hæretici bibere poſſunt, nec alios potare, nos (inquam) in aqua Eccleſiæ tuæ natos foue propitius, ac volens, & præſenti tua ope ſoſpites, atque in Cælum tandem, conſpectumque tuum admiſſos façie ad faciem exple tuę Gloriæ, tuæque Sapientiæ diuitijs, & tuæ Caritatis delicijs exſatia ſempiternis.

2
11123.6
99 961399

1123.6

Digitized by Google